

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. LUCÆ X.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt. Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum, et dicens: Magister, quid faciendo, vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? Quomodo legis? Ille respondens, dixit: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua: et proximum tuum sicut teipsum. Dixitque illi: Recte respondisti. Hoc fac, et vives. Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus proximus? Suscipiens autem Jesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum et plagis impositis, abierunt, semivivo relicto. Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem via et viso illo præterivit. Similiter et levita, cum esset secus locum, et videret eum, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, et videns eum misericordia motus est. Et appropians, alligavit vulnera ejus infundens oleum et vinum. Et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit. Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait: Curam illius habe, et quodcumque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade et tu fac similiter.

CONCIONES.

- I. Quid nos movere debeat ad servandam Dei legem.
- II. Quomodo oporteat proximum diligere sicut seipsum.
- III. Delinquentes corrigendi.
- IV. Correctionem æquo animo acceptam esse.
- V. Damna peccati originalis.
- VI. Quomodo per gratiam mediatoris sanentur vulnera peccati originalis.
- VII. De multiplici amicitia falsa.
- VIII. Quis sit noster proximus.

- IX. Documenta.
- X. Mystera.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Varii cælum acquirendi.
- II. Incitamenta ad diligendum Deum.
- III. Christus summe diligendus, quia Samaritanus noster.
- IV. Ratio diligendi proximum.
- V. Oleum consolationis infunditur plagis afflictorum.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

245

CONCIO I.

QUID NOS MOVERE DEBEAT AD SERVANDAM DEI LEGEM.

- I. Ex parte Dei: 1. Summa Dei auctoritas. 2. Summa Dei erga nos beneficentia. 3. Summus ejus in nos amor. — II. Ex parte mandatorum: 1. Quia justissima. 2. Quia facilia. 3. Quia utilissima. — III. Ex parte nostra: 1. Spes præmii. 2. Metus poenarum. 3. Exemplum Judæorum.

THEMA.

Magister, quid faciendo, vitam æternam possidebo?
Luc. X.

Magni momenti quæstio est hæc: Quid faciendo, vitam æternam possidebo? Sed nec minoris difficultatis. Perinde enim est, ac si quæras: Quomodo potest homo ad cælum volare? Quid igitur ad hoc Christus? Ad legem remittit interrogantem legisperitum, qui ex ea mox apprehendit modum et rationem ad cælum evolandi. Et quæ illa? Duas alas nobis assumendas ait, idque confirmat Christus, charitatem Dei et proximi. Prior complectitur præcepta primæ tabulæ, quæ sunt tria prima ex decalogo. Posterior continet præcepta secundæ tabulæ, ad quam pertinent septem reliqua. Vult ergo Dominus dicere legisperito, quod alias adolescenti, eandem questionem proponenti, respondit, Matth. XIX. Si vis ad vitam ingredi serva mandata, seu dilige Deum et proximum; sicut in lege scriptum invenisti. Quod legisperito dixit, hoc nobis omnibus dixit: Diligite Deum et proximum, seu obedite Dei mandatis, hoc facite et vivetis. Hæc est via cæli, ambulate in ea. Verum hic occurrunt aliqui, quibus via ista vehementer displicet, utpote spinis plena: viam libertatis, rosis instratam mallent. Miseri profecto quia non advertunt, viam hanc ad perditionem, illam ad salutem ducere. Quare, erronei isti ad viam cæli reducendi sunt et stimulis agitandi, ut cum regio propheta viam mandatorum Dei currant.

I. Multa sunt, quæ nos movere, imo accendere debent ad servanda Dei mandata. Primo, ex parte Dei tres potissimum causæ sunt, quarum prima est summa Dei auctoritas et potestas ad ferendas leges, ut ostendit Ecclesiastes, c. VIII. dicens: Ego os regis observo et præcepta juramenti Dei, etc. quia omne quod voluerit faciet, et sermo illius potestate plenus est, nec dicere ei quisquam potest: Quare ita facis? Præcepta juramenti vocat, vel quia Deus ea quasi sub juramento sancit, quando sub hæc verborum formula promulgavit: Ego Dominus Deus tuus, etc. Hebr.

Elohim, id est, judex et gubernator omnium, Exod. XX. vel quia homines quasi sub juramento ad ea vult esse obligatos. Videmus certe servos os regis sui observare, ad nutum omnia jussa ejus diligentissime peragere. Ita milites Saulis, jussi abstinere cibo usque ad vesperam, donec scilicet pugna finita esset, abstinerunt omnes (excepto Jonatha, qui mandatum patris sui non andierat) licet copiosum mel præ oculis jaceret, I. Reg. XIV. Ita milites Davidis jussi parere Absalon, cum vidisset eum pendulum de quercu, pepercerunt ei: quorum unus ait ad Joab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos nequaquam mitterem manum meam in filium regis, audientibus enim nobis, præcepit rex dicens: Custodite mihi puerum Absalon, II. Reg. XVIII. Quanto magis et accuratius os Dei observandum, et sine hæsitacione ac contradictione exequendum, quidquid ille jusserit?

Secunda, summa ejus erga nos beneficentia, ratione cujus obligamur ei velut mancipia per omnia obedire. Nam imprimis ab eo creati sumus, deinde postquam demoni venundati fuimus, ab eodem redempti sumus, nec nisi pretio sanguinis ejus. Denique, ab eodem perpetuo conservamur, sustentamur, custodimur, dirigimur, etc. ut nullum sit momentum, quo ejus gratia non perfruamur. Jam vero, qui tantis titulis Deo obstringimur, nonne, velut Domino nostro, jure obedimus?

Tertia, summus ejus in nos amor. Præcepta enim Dei aliud non sunt nisi vincula charitatis, de quibus Osee, XI. dicitur: Traham eos in vinculis charitatis. His enim coercere solet nos Deus a via perditionis et continere in officio. Hæc sunt fasciæ, quibus alligavit Samaritanus vulnera jaacentis. Quæ etiam pertinent verba Eccles. cap. VI. dicentis: Vincula illius alligatura salutaris. Recte dixit Philo, in l. de Josepho: Quod medicus est ægro, hoc lex est civitati. Corona etiam prisca hieroglyphicum legis fuit: quia certis est vinculis complicata, quibus vita nostra velut religata coercetur a dissolutione, Pier. l. XLI. hierogl. Unde et Pharisæi: Scribebant in membranis decalogum Moysis, id est, decem verba legis, complicantes ea et ligantes in fronte et quasi coronam capiti facientes, ut scribit S. Hieron. in Matth. c. XXIII. Verum illi Pharisæice, nos saniore fine legem Dei velut coronam amplectimur, ut et vitia nostra coerceat, et vitam nostram coronet.

II. Ex parte mandatorum Dei tres etiam apparent causæ. Prima, quia sunt justissima et purissima ab omni pravitate scoria, unde Ps. XI. de iis dicitur: Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, pur-

gatum septuplum : et Psal. XVIII. dicitur : *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa*. Judicia quidem, quia sapientissime et æquissime quasi in consensu judicum decreta : justificata vero in semetipsa, quia non admittunt aliam regulam, sed ipsa sunt regula et norma omnis rectitudinis, cum sint mandata Dei et prima principia juris naturalis, adeoque semper et ubique justa.

Secunda, quia sunt facilia, Joanne imprimis attestante, I. Joan. V. ubi ait : *Et mandata ejus gravia non sunt*, multo minus impossibilia, ut hæretici blasphemant. Gravia autem non sunt : primo, quia mandata dilectionis proximi et Dei ; amanti autem nihil grave est : secundo, quia Christus addit gratiam qua veluti alis facile volamus : tertio, quia alleviantur exemplis Christi et sanctorum, necnon promissione mercedis æternæ.

Tertia, quia sunt utilissima. Sunt enim perpendiculum, ad cujus directionem ædificium nostrarum actionum erigimus in cælum ; cujusmodi perpendiculum in manu habiturum Zorobabælem, templi reparatorem, scribit Zacharias, cap. IV. juxta vers. Chald. Sunt speculum, in quo cernimus et abluimus maculas cordis nostri : quomodo sacerdotes olim ingressuri tabernaculum, in æneo labio, quod erat confectum de speculis mulierum, sese intuentes maculas vultus eluebant, Exod. XXX. De quibus ait S. Greg. hom. XVII. in evang. « *Specula mulierum sunt præcepta Dei, in quibus sese sanctæ animæ semper aspiciunt, et si quæ in eis sunt fæditatis maculæ, deprehendunt, cogitationum vitia corrigunt, et quasi ex reddita imagine suos vultus componunt.* » Accedit propheta, Ps. XVIII. dicens : *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*. Hinc Cyrus rogatus, quosnam putaret injustos ? *Lege non utentes*, respondit, Plut. in Lacon. Quia videlicet isti carent legis speculo. Inde Brasili tam sunt barbari ; quia ut in lingua carent tribus litteris F. L. R. ita in politia carent fide, lege, rege, Osor. et Maffei, in hist. Indie.

III. Ex parte nostra tres aliæ se offerunt. Prima, spes immensi præmii. Amplissima enim sunt Dei promissa facta servantibus legem ejus : quemadmodum Levit. XXVI. numerantur viginti octo benedictiones, quarum aliæ promittunt abundantiam frugum : « *Si mandata mea custodieritis et feceritis ea, dabo vobis pluvies temporibus suis et terra gignet germen suum et pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem et comedetis panem vestrum in saturitate.* » Aliæ pacem et securitatem sicut sequitur : « *Absque pavore habitabitis in terra vestra ; dabo pacem in finibus ves-*

tris ; dormietis et non erit, qui exterreat ; auferam malas bestias et gladius non transibit terminos vestros. » Aliæ victoriam : « *Persequimini inimicos vestros et corruent coram vobis : persequentur quinque de vestris centum alienos et centum de vobis decem millia ; cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro.* » Aliæ prolis fecunditatem : « *Respiciam vos et crescere faciam, multiplicabimini et firmabo pactum meum vobiscum.* » Aliæ saturitate et annonæ utilitatem : « *Comedetis venustissima veterum et vetera novis supervenientibus projicietis.* » Aliæ Dei benevolentiam, amorem et protectionem : « *Ponam tabernaculum meum in medio vestri et non abjiciet vos anima mea : ambulabo inter vos et ero Deus vester vosque eritis populus meus.* » Taceo promissiones novæ legis, veluti Matth. XII. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, et soror, et mater est* : Joan. XIV. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum et ad eum venimus, et mansionem apud eum faciemus*. Denique : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*, I. Cor. II. Quæ apostoli sententia S. Marianum convertit et accendit ad martyrium. Cum enim ipse miles esset florente ætate, scilicet viginti octo annorum, videretque tantam Christianorum martyrum in tormentis pro Christi fide tolerantiam, interrogavit eos : *Quid pro tantis poenis expectatis ? Quid est, quod vos tanta tormenta compellit tolerare ?* Respondere illi : *Speramus bona illa, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se*. Hac voce tactus Hadrianus conversusque curat se illico inscribi martyrum catalogo, cum quibus dire cruciatus, inspectante et adhortante Natalia uxore præclarum subiit martyrium sub Diocletiano, anno 306. ut in ejus actis. Potuit hæc vox militem gentilem accendere ad martyrium, et non possit nos accendere ad servandam Dei legem, suavem et salutarem ?

Secunda, metus poenarum et supplicii æterni decreti in eos, qui non servant mandata. Lege maledictiones, quas iis intendat Deus, Levit. XXVII. necnon alias, Deut. XXVII. ubi jussit Deus stare sex tribus nobiliores in monte Garizim ad benedicendum iis, qui servarint legem Dei : sex nobiliores e regione in monte Hebal ad maledicendum iis, qui non servarint, ita ut omnis populus responderet : Amen. Quod sane continget in die judicii, ubi legis observatores statuentur ad Christi dextram, prævaricatores ad sinistram, et illi quidem benedictionem, hi vero maledic-

tionem sibi a Christo denuntiari audient, omnibus acclamantibus : Amen, amen. Tunc videbitur Christus apparens ea forma, quam describit Moyses, Deut. XXIII. videlicet : *Cum sanctorum millibus et in dextra ejus ignea lex*. Lex enim, quæ hic fuit *lucerna pedibus nostris*, ibi erit lucerna et testis actionum nostrarum ; et deteget iniquitates rebellium, quas legi Dei contrarias et repugnantes admiserunt, quemadmodum Soph. I. testatur Dominus : *Et erit in tempore illo, scrutabor Jerusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in facibus suis*. Tunc lex contra nos testimonium feret et arguet nos, quando dicet nobis iudex : *In lege quid scriptum est, quomodo legis vel legisti ?* Denique, ignea erit quia damnationis ignem prævaricatoribus intentabit atque immittet.

Tertia, exemplum Judæorum, qui legem sibi a Deo præscriptam, præsertim cæremonialem exactissime servarunt olim, et pertinaciter adhuc servant, solis iis exceptis, quæ in templo (quo jam caret) fieri præcepta sunt. Præceptum illis erat, ne comederent adipem victimarum, sed Deo immolarent, Levit. III. et VII. At illi quo exactius hanc servarent legem, omni omnino adipe mundorum animalium, tametsi Deo non immolarentur, abstinebant, eumque abjiciebant, uti etiamnum facere perhibentur, Cornel. a Lap. in Levit. III. teste. Rursum jusserat Dominus, Deut. XXV. ut plagarum reis inferendarum numerus quadragenarius non excederet : cui ut certius et plenius satisfacerent Judæi, non quadraginta sed unam minus, scilicet triginta novem reis infligebant : unde S. Paulus ait, II. Cor. XI. se ab iis quinque quadragenas una minus accepisse. Præceptum illis erat, ut facerent sibi fimbrias per angulos palliorum, quibus visis recordarentur mandatorum Dei, Num. XV. illi autem fimbriis hisce inseruerunt acutissimas spinas ut incedentes earum aculeis vexarentur, et ita legis divinæ crebrius admonerentur, teste S. Hieronymo, in e. XXIII. Matth. Similiter jussi erant, Deut. VI. ligare præcepta Dei in manu sua, et habere eadem ante oculos suos ; illi hoc ad litteram et rigide exponentes, membranæ ea inscribebant, et fronti alligabant, ut Hieron. loco cit. Quid faciant ergo Christiani ? Annon ita menti suæ inscribere Dei legem debent, sicut eam Judæi inscripsere vestibus et fronti ? Denique, audite adolescentem quemdam Judæum, qui cum et ipse hac questione ad Christum venisset : *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam ?* respondissetque illi Christus : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, dixit : *Omnia hæc custodivi a juventute mea*, Matth. XIX. Sit nobis hic adolescens stimulus ad eandem legem custodiendam. Si enim adolescens antiquæ legis, isque dives, ab

ineunte ætate mandata omnia eustodivit, quid oportet adolescentem et virum et senem facere Christianum ? Ex quibus intelligere possumus, quam bene dixerit propheta, Ps. CXVIII. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*. Nimis enim custodienda sunt : primo, quia nimis magnus est, qui ea sanxit et præcepit, nimis bonus, nimis amans. Secundo, quia nimis æqua sunt, unde qui etiam in minimo ea prævaricatur, non erit impunitus : *Habet enim (ut dicitur) et plus umbram suam*. Tertio, quia custodientibus datur præmium magnum nimis. Quarto, quia prævaricantes expectat supplicium grave nimis ; unde vita potius in discrimen ponenda, quam ut legi Dei vim inferamus ; id quod verbo et exemplo suo docuere nos septem illi adolescentes strenuæque martyres, fratres Macchabæi, qui potius acerbissima quæque pati et tormentis exquisitissimis cruciari, lingua, manibus et pedibus truncari, cute capitis abstracta denudari, in sartagine torreri, adeoque : *Suas potius carnes*, ut ait S. Gaudentius, in tract. de Macchabæis, *supplicii devorandas tradere maluerunt quam contra legem patriam edere porcinas*, uti II. Macchab. VII. legimus. Horum primus, cum ad supplicium raperetur, Antiocho dicebat : *Quid quæris et quid vis discere a nobis ? Parati sumus mori magis, quam patrias Dei leges prævaricari*. Minimus vero natus et in supplicio ultimus, ita effatus est : *Quem sustinetis ? Non obedio præcepto regis, sed præcepto legis quæ data est nobis per Moysen* : et mox : *Ego autem, sicut et fratres mei animam et corpus meum trado pro patriis legibus*. Fecerunt hoc illi ante Christum ; quid fecissent post Christum ? Lex illa non manducandi porcinas carnes mere positiva et cæremonialis erat, non naturalis neque inserta decalogo ; quid egissent vel exantlassent pro servanda lege decalogi ? Vel horum igitur exemplo animemur, auditores, ad servandam Dei legem, ut cum ipsis aliisque electis mercedem illam consequamur, quam oculus non vidit, etc.

CONCIO H.

QUOMODO OPORTEAT PROXIMUM DILIGERE SICUT SEIPSUM.

- I. Condolendum et congaudendum ei. — II. Afflicto auxilium ferendum. — III. Communicanda obsequia. — IV. Pro nobilioribus se exponat. — V. Condescentat infirmiori. — VI. Non irascatur alteri. — VII. Non invidet alteri.

THEMA.

Proximum autem sicut teipsum. Lucæ X.

Bene dixit Ecclesiasticus, cap. XXXI. *Intellige*,

quæ sunt proximi tui, ex teipso. Si enim intelligere velit aliquis, qua ratione diligere debeat proximum suum, quærat ex seipso, quomodo diligit seipsum. Hoc vero exponit nobis apostolus, I. Cor. XII. ubi docet omnes fideles membra esse unius corporis Ecclesiæ; et quemadmodum membra corporis naturalis diligunt se mutuo; sic etiam unumquemque diligendum esse a proximo. Cum ergo hanc dilectionem doceat et inculcet parabola hodierna: audiamus qua ratione diligere debeamus proximum.

I. Membra ejusdem corporis sibi mutuo condolent et congaudent. Dolente enim capite, manu, pede, vel dentibus, dolent et membra reliqua; lacrymantur oculi, lamentatur et gemit os, labia intorquentur. Vicissim cum manus pecuniam inveniunt et tollunt, exultat cor, ridet os, pedes exultant, manus plaudunt. Unde apostolus supra cit. loco ait: *Si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra: si que gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra: et ad Rom. XII. jubet: Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Ita Samaritanus in hodierno evangelio videns jacentem miserum: *Misericordia motus est super eum.* Idem exemplo suo docuit Dominus, cum videns plorantem Mariam ob mortem fratris, et ipse lacrymatus est, Joan. XI. unde dicebant Judæi: *Ecce quomodo amabat eum?* Non mala consequentia. Qui enim videt fratrem afflictum et non condolet, sed ridet; quomodo amat eum? Refert Albert. M. in l. de animalib. se vidisse in Germania geminos tantæ conformitatis, ut dignosci non possent, qui ægre a se mutuo separabantur et separationem ægerrime ferebant: uno in ægrotudinem incidente, in eandem et alter inciderebat; uno convalescente, et aliter convalescebat. Quod si tanta vis naturæ et amicitiae est: cur hoc inter nos virtus efficere non queat? Idem baptismus et fides? Eadem cœli hæreditas? Si duo simul apud Turcam capti, simul ab eodem hero redempti, similiter vestiti, ejusdem mensæ et hæreditatis participes facti essent: haud dubie se mutuo valde amarent. Cur non et in simili? Quod si membrum unum alteri afflictio non compatitur, signum est membrum illud sensu carere, ut docet S. August. serm. XV. inter l. *Sensus noster, fratres, una fides est, una charitas, una sanitas est,* inquit.

II. Mutuam sibi opem ferunt jurato quasi fœdere, maxime in periculo et afflictione; siquidem membrum sanum medetur saucio. Cum pedi spina infigitur, quærunto oculi, caput demittitur, venter et femora contrahuntur, incurvatur dorsum, digiti extrahunt spinam. Manus frigentes calefaciunt axillæ, flatus oris, etc. Unde aposto-

lus, loco cit. ait: *Id ipsum pro invicem sollicita sunt membra.* Exemplum nobis præbuit in hodierno evangelio Samaritanus, qui videns saucium, non pertransiit, ut alii prætereuntes, sacerdos et levita; sed appropriavit et remedium adhibuit. De quo audi Chrysostomum, orat. V. advers. Judæos: « Et tu igitur, inquit, cum videris aliquem egentem curatione, vel corporis vel animi, ne dicito apud teipsum: Quare ille et ille eum non curaverunt? Sed a morbo libera. Si inveneris aurum jacens, non dicis apud teipsum: Quare ille aut ille hoc non sustulerunt, sed festinas ante alios rapere. Itidem et de fratribus collapsis cogita, puta que te thesaurum invenisse, nimirum occasionem illius medendi. Etenim si instillar veris illi, velut oleum, sermonis doctrinam, si obligaveris humanitate temperantiaque vulneratum, si sanaveris, ille te faciet ditio rem quovis thesauro. Qui enim eduxerit pretiosum ex indignitate, tamquam os meum erit, inquit ille. » S. Chrysost. Verum heu videas homines canibus non absimiles! Hi videntes unum canem prostratum morderi ab aliis, etiam ipsi accurrunt et in jacentem sæviunt. Ita quidam afflictis etiam afflictionem addunt, v. g. cum domus unius conflagrat, aliqui interim ei suffurantur suppellectilem, quam incendio eripere deberent. Tales illi qui dicunt: *Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum; quia non est qui eripiat.*

Quid, quod reperiuntur aliqui canibus sæviores? Nonne canes linxerunt ulcera Lazari, cui epulo micas negarat? Audi et hoc. Cum Cambyses rex Persarum fratrem suum occidisset, et post aliquando leonem necdum adultum cum audaci cane congredi fecisset, leoque cani prævalere inciperet, ejusdem canis alius catenarius forte præsens et necessitatem fratris videns, catenam rupit et laboranti adjutor factus leonem prostravit. Quod cum placeret Cambysi, soror tamen ejus amare flevit et indoluit dicens, majorem esse canum inter se dilectionem quam fuerit Cambysis in fratrem, utpote quem occiderat. Quod cum is audisset, etiam sororem interfecit. Origenes, hom. VII. in Josue, ait: « Ne existimes te culpæ expertem, si dixeris: Quid ad me, si peccet alter? Perinde enim est ac si caput pedi diceret: Quid mea refert, si tu vulnereris, modo ego integrum et sospes existam. »

III. Communicant sibi mutuo et exhibent obsequia sua. Oculus videt non sibi tantum, sed toti corpori; dentes molunt, non sibi tantum, sed stomacho; et stomachus coquit ac dividit escam toti corpori. Unde apostolus, sup. *Non potest oculus dicere manui: Opera tua non indigo, aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarii.* Cum ergo

in communitate alius sit oculus, id est, prudens et gubernator; alius manus, id est, industrius, robustus; alius stomachus, id est, dives, non debent hoc sibi solis, sed et aliis esse: sic Samaritanus pecuniam suam saucio communem facit. Sic imperatores et principes regunt populum, clerus ad cœlum ducit, rusticus alit, miles defendit. Docet hoc et Græcorum fabula de cæco et claudo in silva derelictis: neuter inde solus poterat emergere. Quid igitur? Sustulit cæcus claudum ac portavit, claudus vero cæco viam monstravit, et ita ambo emersere. Similiter fieri in republica debet et communitate. Magistratus dirigat subditum, velut videns cæcum; subditi velut sani sustentent magistratum velut claudum, velut et labori idoneum. Docti plebem erudiant: plebs doctores alit: religiosi pro sæcularibus orent: sæculares temporalia eis subministrant. Sic in prælio contra Amalec Moyses oravit, Josue pugnavit: sed Moyses plus præstitit; illo enim remittente manus, vincebat Amalec; attollente, vincebat Josue, Exod. XVII. Unde licet religiosi non pugnent vel laborent manibus, pugnant tamen oratione, et longe plus efficiunt. Exhibeo testes non ecclesiasticos sed sæculares. Nam Honorius imperator scribit ad quemdam: *Certus (esto) et ipsum imperium nostrum et ruere et stare precibus sacerdotum,* apud Baron. an. 407. et Justinianus imperator in novella const. CXXXIII. ait: *Imperium, militiam, agros ipsos et quidquid habent homines sæculares, per orationes conservari sanctorum.* Quare clerici ita Deo serviant et orent, ut non sibi tantum, sed toti populo placeant: magistratus non suis solum, sed subditorum commodis promovendis studeat: cives et mercatores ita sua vendant ut ab omnibus, etiam pauperibus, emi possint: servi et operarii ita serviant dominis fideliter, ut e dominis non faciant servos. Sed heu! multi instar illius stulti Nabal sunt, qui non agnoscunt proximos egentem pro commembris suis, et dicunt iis, quos vel non noscunt familiariter, vel nulla amicitia attingunt: *Tollam panes meos et aquas meas et carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, et dabo viris quos nescio unde sunt.* Sic enim ipse dixit Davidi egenti et com meatum petenti, I. Reg. XXV. Non nosse proximum, est non nosse commembrum, imo seipsum: vere igitur stultus erat secundum nomen suum. Audi Chrys. hom. XIV. in Joan. « Quemadmodum, ait, is sane ridiculus foret, qui unde sibi secum familiaritas, unde propinquitas, percontaretur: ita is, qui unde sibi cum fratre, etc. »

IV. Ignobiliora exponunt se pro conservatione nobiliorum. Manus objicit se ictui pro capite,

idque contegit, oculum præsertim; quia membrum nobilissimum. Unde apost. cit. *Quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt.* Ac proinde studiosius servanda, uti oculus et caput quibus defendendis brachia se objiciunt. Samaritanus certe vulgo despectior, pro Judæo se exponit periculo latronum, viæque difficultati, eo ipso quod pedes ivit, ipsum equo suo imposuit. Exemplum de Joanne Rastello Anglo soc. Jesu, qui conelamato a medicis Paulo Hoffæo societatis provinciali, pro eo victimam se Deo obtulit per votum, ut si auctori vitæ videretur, Paulus viveret, ipse vicaria morte defungeretur. Ratam habuit Deus piam mentem patris, qui vix ædem sacram exierat, ad quam pro Hoffæo peregre supplicarat, cum e vestigio morbo correptus, et domum æger deportatus, post paucos dies oppetiit. Hoffæus illico convaluit, et exequi munus suum perrexit. Refert in vita p. Canisii Matth. Rad. l. II. c. V. Pari jure in communitatibus vulgus pericula et difficultates onerum pro suis superioribus et pastoribus libenter subire debet: quia plus in illis positum. Hinc subditi Davidis voluerunt, ut ipse secum exiret in prælium contra Absalon: *Non exibis, inquit, sive enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: sive media pars ceciderit e nobis, non satis curabunt; quia tu unus pro decem millibus computaris. Melius est igitur ut sis nobis in urbe præsidio,* II. Reg. XVIII.

V. Firmiora condescendunt infirmioribus, uti et honestiora inhonestioribus. Vestiantur enim pedes et partes inhonestiores ac frigoris impatientiores, non item facies et manus; brachium infirmum gestatur a collo in fascia, etc. Sic Judas vult fieri servus pro fratre suo minimo, Genes. XLIII. Unde apost. cit. *Quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorum circumdamus, et quæ inhonesta sunt membra, abundantiorum honestatem habent.* Sic tolerandi sunt fratres infirmiores et supportandi a firmioribus, juxta id Eph. IV. *Cum patientia supportantes invicem.* Id quod docet primo, Samaritanus, qui it pedes, ægrum facit equitem: deinde, Judas ille, qui vult fieri servus pro fratre suo minimo, et in vincula ire, Gen. XLIII. denique, ipsa bruta animalia: « Cervi enim, cum insulas tranant, ut ait S. Aug. de verbis apost. serm. XXIII. sicut necesse est unum esse, qui cæteros præcedens non ante se habeat, cui caput inclinet, vicibus dicuntur id agere, et ille, qui præcedit, post omnes redit, eique succedit, cujus ferebat caput, eum ipse præiret. » Si hoc cervi, quid Christianos oportet facere? *Nihil inquit, sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio.*

Ipsæ Christus discipulorum suorum impolitos adhuc mores, virtutis omnis fons, patientissime sustinuit; iis dormientibus in Oliveto ipse vigilavit, nec eorum somnolentiam indigne, sed paterne tulit. Denique, S. Basil. in Ps. XXXIII. ait: « Quemadmodum ossa ingentia sibi vi prætenearum carnis molliem suffulciunt, et pressius contrahunt: itidem sunt in Ecclesia quidam, qui possint sua ipsorum constanti fortitudine debiliū fulcire ac ferre imbecillitatem. »

Similiter etiam non temere statim abjiciendus proximus cum depravari incepit: sicut non statim deseritur aut amputatur membrum, cum putere incipit. Certe Dominus jussit leprosum, etiam judicatum, per septem dies retineri et includi, antequam omnino excluderetur, et ad leprosos ejiceretur, ne ei fieret injuria, Lev. XIII. Christus etiam Judam diu toleravit, antequam abscinderet et projiceret.

Denique, inhonestiora fratrum tegenda sunt, sicut manus obtegunt nuditatem partium inhonestarum: *Ut etiamsi quis toto corpore nudus sit, hæc tamen membra nudari non patiatur*, ait Theophylactus. Excusanda igitur, quantum fieri fas est, proximi peccata ad exemplum Domini dicentis: *Nesciunt, quid faciunt*. Cum enim Dominus scelus Judæorum excusare non posset, pallio saltem ignorantie textit: *Nesciunt, quid faciunt*. Sic Constantinus M. imp. contentiones clericorum libello sibi exhibitas in ignem abjecit, addiditque, se, facinus episcopi, si videret, suo paludamento cooperturum. Pulchrum aliud exemplum hæc de re scribit Dorotheus abbas, doct. VI. t. II. bibl. ss. pp. in hæc verba: « Viri sancti, cum patientia et charitate fratrem trahunt, neque ipsum calcibus impetunt, aut odio insectantur, sed veluti mater, quæ deformem filium peperit, non eum spernit, quia deformis est, sed materno amore, benevolentia, et mansuetudine ornatum reddit, et quidquid gratum noverit, facit: sic illi peccatores semper suscipiunt, ornant, tuentur, protegunt, ut tandem eum revocent et erigant, neque alius ab eo lædatur; ipsi vero magis in Christo charitate proficiant. Ita sane fecit Amon sanctissimus, cum ad eum venissent fratres, ira et furore pleni, quod mulierem in cella monachi deprehendissent: quantum enim mansuetudinis et charitatis in eo iudicio anima illa sancta præ se tulit? Nam ubi cognovit mulierem sub dolo latere, statim super illud sedit, jussitque fratres per cellam universam querere. Qui cum nihil invenissent, dixit ad eos: Parcat vobis Deus, illosque pene confusos præmonitosque, ne facile crederent adversus proximum, dimisit. Fratrem autem illum ad tempus correxerat ex-

que; illis enim explosis omnibus solius manum tenens: Curam tui habe, frater, dixit. Qui statim oratione compunctus respicit, et benignitate et clementia patris sanatus est. »

VI. Sibi mutuo non irascuntur, etiam si unum ab altero offensum sit. Si enim propriam linguam momorderis, non ideo dentem excutis; vel si pes labatur, non percutis illum, etc. Unde apostolus ait. *Deus temperavit corpus, ut non sit schisma in corpore*. Sic Samaritanus, licet sciret exosum Judæis esse, nullius tamen odii recordatus est, aut appetitus ulciscendi: saucius autem Judæus fuit. Potuisset dicere Samaritanus: Nunc de te ulciscar me Judæe; sed nihil horum dixit. Cum facta esset rixa inter pastores gregum Abraham et Loth, Abraham uno verbo eam compescuit, dicens: *Ne, quæso, sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos, et pastores tuos: fratres enim sumus*, Gen. XIII. Pudeat ergo fratres cum fratribus, lævissimis sæpe de rebus iudicio contendere. Quid enim ait apost. I. Cor. VI. *Frater cum fratre contendit?* Quale spectaculum foret, si cujus manus sinistra cum dextra altercaretur? Quid non tolerant matres a filiis? Quas non ineptias, imo injurias eorum perferunt, quodque amplius est, extenuant? Quam cito oblitæ ad maternum sese affectum recipiunt, a quo aliquantum per subitam iram recessisse videntur? In Aquitania nefarius quidam adolescens, a sua matre sæpe objurgatus, eo progressus est petulantie, ut quodam die (o prodigium) in ejus offam alvum exoneraret. Id ubi rescivit magistratus, lictores misit, qui carceri eum manciparent nec ita multo post extremo affectus est supplicio. Dum autem duceretur, non cessabat infelix mater, excusare natum et vociferari; nihil in eo culpæ residere, injuste damnari innocentem. Refert Chavass. de prudentia, l. I. c. VIII. § IV. Cur non ergo leviores offensas fratrum toleremus, et quidem ob amorem Christi, maximi nostri amici?

VII. Unum alteri non invidet, licet eo nobilior sit et nobiliori loco: alterum humilior et humiliori servitio deputatum. Unde apostolus ait. *Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit*. Non invidet pes oculo, quod is loco sublimi et sub tecto stet, ipso vero lutum perambulare debeat, infimo loco constitutus; nec manus, quod hæc annulo vestiatur et armillis aureis, et suaveolentibus chirothecis, ipse vero vili dumtaxat corio. Rursum non indignantur reliqua membra, quod ventri omnia, ipsis parum valde de cibis communicetur. Ita Samaritanus non invidebat Ju-

dæo, quod id is equitaret, ipse pedes iret. Quare idipsum nobis etiam faciendum: non invidet ignobilior gloriam, opes, dignitatem, aliasque commoditates nobiliori, sed cogitet se pedem, ipsum vero manum aut caput a Deo constitutum esse in corpore Ecclesiæ.

Denique, nec unum membrum alteri malum suum optat aut infert; imo brachium ægrum patitur se abscindi ne vicina membra inficiat, eximi deus affectus, ne vicinos dentes putredine sua corrumpat, tametsi id sine magno dolore fieri non potest. Pari igitur lege non imprecetur unus alteri.

Atque hæc est unio, auditores, quam apostolus requiritur in corpore Ecclesiæ: hæc dilectio proximi, sicut sui ipsius, quam requirit Dominus in hodierno evangelio. Quæ si in nobis fuerit, tunc vero Deo placebimus, sicuti universum tum demum erat *valde bonum*, placuitque Deo, quando simul junctum et in unum corpus summa concordia compaginatum, lustratum est ab eo. Quoniam igitur unum corpus sumus omnes, diligamus omnes invicem, veluti membra unius corporis copulemur invicem, mutuo charitatis fœdere, ut ita conglutinati simul evehamur ad patriam cœlestem.

CONCIO III.

DELINQUENTES CORRIGENDI.

I. Jubet lex charitatis: 1. Naturali ex præcepto. 2. Ex ratione. 3. Ex charitate christiana. — II. Jubet peccati gravitas: 1. Quia alioquin peccas in te. 2. Peccas in proximum. 3. Peccas in remp. — III. Suadet ingens fructus: 1. Lucraris fratrem tuum. 2. Gaudium paris angelis. 3. Mercedem tibi Christus dabit. N. B. Huic concioni respondet concio VII. dom. XVI. post. pentec.

THEMA.

Curam illius habe, et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi. Luc. X.

Quod Samaritanus in hodierno evangelio mandavit stabulario seu domino hospiti, ut curam ægri haberet: hoc idem Samaritanus noster, Christus, mandavit nobis, auditores; imprimis vero summo pontifici de universa Ecclesia, imperatori de orbe christiano, episcopo de diœcesi, prælato de religiosis, duci de militibus, patrifamilias de servis, parentibus de liberis, propinquo de propinquo, imo et cuilibet de proximo suo. Quia Eccles. XVII. dicitur: *Mandavit illis, unicuique de proximo suo*. Mandavit, inquam,

ut si quis horum videat aliquem sibi commissum in peccatum aliquod lapsum aut labentem, adeoque in latrones, dæmones incidisse, ei mox appropiet, medicinam correctionis adhibeat, ejusque curam habeat: quo modo Samaritanus in hodierno evangelio, Christus inquam de cœlo ad nos accurrit, ut medelam ægris afferret. Sed quam parum hoc Domini exemplum et mandatum observetur, in eo monstravit Dominus, quod dixit sacerdotem et levitam viso jacente saucio pertransiisse, unum Samaritanum accessisse, misericordia commotum. Non obscure enim significat, plures esse, qui delinquentes negligant, eosque fere præpositos qui suo ex officio corrigere eos debeant, quam qui curam adhibeant. Multi sunt Caini dicentes: *Num custos fratris mei sum ego?* Gen. IV. Quibus proinde ostendendum esse duxi, quanto jure ad hoc obligentur.

I. Jubet lex charitatis et amicitie, ratione cujus obligamur corrigere errantes et primo naturali ex præcepto, quod etiam agnoverunt philosophi gentiles, Plato, l. X. de leg. Arist. l. eth. cap. III. Sumus enim ejusdem nature et eundem in cœlo Patrem habemus et alter alterius ope indiget; nemo solus sibi sufficit. Hinc et bestie legem hanc agnoscunt. Narrat enim Plin. lib. VIII. cap. VIII. quod si in foveam cadat elephas, protinus cæteri congerant ramos, moles devolvant, aggeres construant, omnique vi et communi opera conentur eum extrahere. Accuratius adhuc scauri pisces, qui videntes socium aliquem in nassa conclusum, si is capite conetur egredi, extra caudam ei porrigunt, qua mordicus apprehensa captus eluctetur. Si vero captivum cauda apprehendere possunt, apprehensum extrahunt: *Hoc illi quidem faciunt more hominum, tametsi de amicitia libros non legerint*, inquit Alian. l. I. cap. V. Abeant igitur ad bruta, qui videntes amicum aut proximum subditum præsertim, in hæresi aliove detentum, educere non festinant. Observamus quidem hanc legem in rebus parvi momenti: uti cum aliquem indecore vestitum advertimus, aut maculam in facie contraxisse videmus, aut lapsui proximum cernimus; parentes admonent liberos, cum vident eos sinistra uti pro dextra, etc. Sed in rebus maximi momenti, cum videmus in proximo aut liberis turpissimam peccati maculam, minime observamus; nonne ergo nos ipsos condemnamus? Nonne illi sumus, de quibus Dominus, Matth. XXIII. *Duces cæci: excolantes culicem, camelum autem glutientes?* Orentus abbas montis Sina, cum aliquando inverso sago, ita ut de foris totus villosus appareret, ecclesiam intrasset,